1

Constantinus Casimirus Brzostowski DEI et Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Vilnensis, Ssmi Dni Nostri Domini CLEMENTIS Da Pa Papæ XIi Prælatus Domesticus, et Solij Pontificij Assistens.

Illustribus Admodum Rndis Dnis Decanis, Parochis, Commendarijs, Vicarijs, Altaristis, Psalteristis, Cæterisq Tribunis Diæcesis Nostræ Vilnensis, Presbyteris ac Clericis, Scholarum Rectoribus, Ecclesiarum Ministris tenore præsentium requirendis Salutem in Dno. Notum facimus expositum Nobis fuisse et esse à Rndo Dno Sebastiano Josepho Swirczowski Canonico Regulari B.B. M.M. de pænit. Commendario Druiensi, in et contra Illrem Admodum Rndum Dnum Stephanum Dębłowski Custodem Prælatum Samogitiæ, Parochum Druiensem, Qualiter Ipse à Decem et Ultra Annis derelictâ Ecclesiâ, cum Summa Bonorum Eius desolatione, Animarum verò absq Sacramentis decedentium gravi præiudicio ac iactura, non modò Ipse contra aperta et rigorosè circumscripta iura Residentiam non continuet, verum etiam Exponentem à Mandato et Subordinatione, ac per Conniventiam per Pnobilem Dnum Casimirum Borowski Villicum suum, et alios Famulos sibi melius de nominibus et cognominibus notos, varijs convitijs, et contumelijs lacessere, famam, honorem, Bonum nomen traducere, verbis detractorijs, asperis, et Scommaticis proscindere, aliasq plurimas inconvenientias latius in Supplici Libello Exponentis ad Nos sub Die Decimâ Mensis et Anni Currentium, porrecto, in Personam Eiusdem cum gravi Læsione et præiudicio perpetrare, non erubescit; Petitumq debita cum instantia de ordinarijs Iuris Remedijs. Quocirca Nos tot et tantis malis Obviam ire cupientes, Primò Contra Illrem Admodum Rndum Dnum Prælatum Custodem Samogitiæ Parochum Druiensem, Qui est Causa omnium inconvenientiarum, per suam absentiam

per suam Absentiam, tum contra Reliquos omnes Suprafatos cum Eorum Complicibus, nominatim Generosum D[nu]m Casimirum Borusky Suprafatum Villicum, Canonicam Monitionem in forma edicti publici, ex Cancellaria Nostra extradendam esse censuimus, uti quidem in DEI nomine extradi in instanti mandamus, Requirentes à Vobis Suprascriptis Executoribus Nostris in virtute S[ancta]e Obedientiæ, et Sub Excommunicationis pæna, quatenus tenore præsentium Requisiti, seu Alter vestrum requisitus fuerit, personaliter accedentes, si commodè poteritis, aliàs per affixionem ad Valvas Ecclesiæ Druiensis, in modum publici edicti, vigore Decretorum SS. Concilij Tridentini Sess. 25. Cap. 1. de Reform. Illustrem A. R. D. Stephanum Dybkowski Custodem Prælatum Samogitiæ Parochum Druiensem, et G. D[nu]m Casimirum Borusky Suprafatum, Aliosq[ue] Famulos Sibi melius de nominibus et cognominibus notos, Authoritate Nostrâ moneatis et requiratis, quos etiam Nos monemus et requirimus, ut Illris Adm. R. D[omin]us Parochus praeexpressus in Spatio Sexaginta Dierum à publicatione Præsentium, Sub Censuris Ecclesiasticis, Sequestratione et Subtractione fructuum, alijsq[ue] usq[ue] ad privationem pænis, ad Ecclesiam Suam Parochialem redeat, et in illa, præsertim Sub imminentibus Resurgentis Christi D[omi]ni ferijs, quo tempore Populus indiget Rectoris Sui præsentiâ, Resideat; Reliqui verò, præviâ Exponenti in omnibus prætensionibus Satisfactione, de cætero à tali cum Eo procedendi modo, verbis laesivis, alijsq[ue] convitijs, et molestatione, Sub Excommunicationis et Remotionis ex hoc loco pæna abstineant, Aliàs si secus fecerint, et his Nostris Monitionibus non obedierint, Eos omnes ad Instantiam Instigatoris, ex

Delatione Exponentis

Delatione Exponentis, huc Viennam proxima Die post
Lapsum Sexaginta Dierum à Publicatione praesentium
terminum, proveniente, Citantes ad videndum et
audiendum Poenas comminatas in Casu inobser-
ventiae et Contravenientiae, praemissis Monitionibus
vigore Decretorum SS. Concilii Trident. tum etiam Iu-
ris communis tit. cap. ex parte 8. cap. fin. de Cler. non
residente C. catria 11. eod. tit. apud Soevirum in lib. 3.
decretal. tit. 4. n. 6. contra se ferri, fulminari, publica-
ri, et ad omnimodam deduci executionem. Aliaque
prout plenius etc: salvâ praesentium Melioratione,
quam in toto sibi Actor reservat, proponet et deducet.
Certificantes Eosdem etc: In Quorum Fidem Datum
Viennae in Cancellariâ Nostra Anno Domini 1720. Mensis
Martii Diè 16ᵃ.

Constantinus Episcopus

Trojanus Antonius Cziporvik
Actorum Curiae Suae Illmae
Ordinarius Notarius mp

Aº 1720 Mensis Martij die 20
Ego infra scriptus praesentes
monitionum et citationis literas
personis intro contentis fideliter
sum executus cuius fidem facio
Ladislaus Koszakowski
Clericus Dioecesis Viln:

AB 35

Fascykuł 43
Spraw cudzych
do Probostwa Kaplicy Ostry-
marskiey niereguluiących
się ktore tam znalezionych,
Sztuk No. 3.

Lietuvos TSR Mokslų Akademija CENTRINĖ BIBLIOTEKA